

No. 180. 1255.

Abt und Convent zu Altzelle nehmen die Mitglieder des Capitels in ihre geistliche Brüderschaft auf.

In nomine domini amen. Ego frater M. dictus abbas totumque capitulum Cellae sanctae Mariae sanctae Misnensis ecclesiae capitulo cum orationibus perpetuis caritatis vinculum indefessum. Quum multum valet deprecatio iusti assidua et bonorum operum gloriosus est fructus, pro vestro desiderio cupientes statuere vobiscum pactum indissolubilis amicitiae perpetuo duraturae, tenore praesentium vobis conferimus communionem omnium bonorum operum, quae apud nos exercentur in missis, vigiliis, disciplinis, orationibus et ieiuniis ceterisque divinis exercitiis, dantes vobis plenariam fraternitatem ita, ut cum obitus vester nostro capitulo nunciatus fuerit, nos sicut unum de nostris in ipso capitulo absolvemus pro vobis omne debitum, quod nostris facimus statuentes, vos vero vice versa, quia plures sumus numero, tantum bis in anno pro fratribus nostris defunctis compulsabitur dicentes pro ipsis vigiliis et missam pro defunctis, divinam pro eis misericordiam implorantes. Datum anno gratiae M^o. CC^o. LV^o.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Abts an einem von der Urkunde selbst zum Theil abgeschnittenen Pergamentstreifen.

No. 181. 1256. 1. Apr.

B. Conrad trifft wegen der dem Capitel im Zoll zu Mügeln angewiesenen 6 Mark S. jährlichen Einkommens nähere Bestimmungen. Vgl. No. 153.

C. dei gratia Misnensis episcopus omnibus praesentem paginam inspecturis salutem in domino. Cum humani generis conditio semper in infinitum decurrat, et nihil sit in eo, quod perpetuo perseveret, necessitas requirebat, ne veritas gestorum tractu temporis propter labilem memoriam hominum infirmetur, ad posterorum notitiam cum firmitatis robore transmittatur. Hinc est quod notum esse cupimus omnibus praesentem paginam inspecturis, quod cum ecclesia Cellensis Cisterciensis ordinis nostrae diocesis capitulo Misnensi in quadam summa pecuniae annis singulis teneretur, nobis mediantibus, de nostra bona et libera voluntate ac unanimi consensu capituli Misnensis cum praefata ecclesia Cellensi fuit ordinatum pariter et tractatum, ut in compensationem dictae pecuniae sex talenta in Mogelin de theloneo nostro, quinque fertonibus etiam adiectis, qui consueverunt de Wurzin in anniversario piaae memoriae quondam praepositi Vlrici Wurzinensis canonicis Misnensibus ministrari, omni explosa quaestione vel dubitate, qua praedicta ordinatio posset infirmari vel aliquo modo impedi, perpetuo per singulorum annorum curricula, sic tamen terminis statutis, ut in festo purificationis beatae virginis tria talenta et dimidium, similiter et in festo sancti Jacobi totidem, et quinque solidi a nostris theloneariis de Mogelin sine qualibet contradictione Misnensi capitulo persolvantur. Si etiam cuiquam, quod dicto capitulo a praefatis debitoribus ex debito est praestandum, aliquid de eodem ab eisdem inprovide solveretur, eosdem a solutione